



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

n. 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

Ignatius,  
& Socij  
excellentes  
virtute, at  
admirabili  
doctrina  
prædicantur à Dæ-  
mone.

1. **A** DÆMONE, Inquam, Qui intra mulieris corpus carceratus Venetijs, videns S. Ignatium, ac socios, magnis vocibus non semel exclamavit: Vos (ad adstantes dicebat) nescitis qui sint isti Clerici, sunt viri excellentes, magna virtute, & admirabili doctrina præditi. Ego meique socij quidquid potuimus fecimus ad eorum Consilia disturbanda, ne huc venirent, sed frustra. Hoc Parens mandatij testimonium pro Societate, eius Parente, ac filijs edidit honorificentissimum. Ita apud Euseb. in Vita S. Ignat. cap. 9. in fine Tom. 1. Viror. Illust. Soc.

Qui magnis promissis educere eos è Societate tentat.

\* **AB EODEM**: Qui P. Ioannem del Castillo egregium eius inimicum importunis hisce vocibus aliquando alloquebatur. Egredere de Societate, & te faciam hominem totius mundi præstantissimum: totius scripturæ notitiam dabo, ac supra dignitatem, quam malueris sustollam. Quod si nolueris, aliam adminus Religionem elige, & ne sis cum his Societatis hominibus, ex toto quidem Orbe pessimis. Quid tibi cum istis? potens ad tuum libitum vitam ducere. Hæc Tom. 2. Viror. Illustr. Soc. fol. mibi 774. in Vita Eiusdem.

Gens illi magis odiosa Iesuitæ.

**AB EODEM**: Nullam (aliàs dicebat miser) fore gentem in Mundo sibi magis odiosam, quam Societatis homines: ideoque plus aduersus ipsos, quam contra vllum alium perpetuo se dimicare: vnumque Dæmonem persequi vnum ex alijs Religionibus, decem vero Dæmones vnum è Societate, quam conabatur destruere, & in omnibus partibus extinguere. Sic Ibidem fol 779. Et quantopere hic Tenebrarum Princeps Societatis viros prosequatur odio, iterum declaravit, cum in Enerzumena quadam exorcismis adigeretur, Confessus est inter cetera, Nullam se gentem acerbius odisse, quam Iesuitas. Ita apud P. Plati de bono status Religion. lib. 2. cap. 30.

Eorum aduentum ad Mixicanū Regnū lamentandum con-  
queritur.

**AB EODEM**: Qui cum Nostri in Mexicanam Prouinciam appulissent, infremens, atque horrendis implens vllulatiibus montem, vbi pro Deo colebatur, quàm sibi dolori, atque horrori esset nouorum Sacerdotum aduentus, non dubitavit cuidam, quem sibi deuotione  
obstri-



obstrictum habebat, lamentabundus aperire. Ita in Imag. 1. sec. Sac. lib. 2. cap. 8. fol. 234.

AB EODEM : Quem Panormi femina quaedam velut intemperijs quibusdam excitata prouocarat : & illi facta sui corporis ad libidinem copia ad Inferendam Octauio Nostro Caietano necem, quam ipsa cum maxime vellet, non posset, opem deposcit : sed demum coactus est ipse quoque hostis infernus fateri imbecillitatem suam, cum diceret, Ignatium non permittere, vt suis filijs quidquam noxæ infligat. Sic refertur apud P. Alegambe in sua Bibliotheca scriptor. Soc. fol. mihi 358. in vita Eiusdem Octauij Caietani.

Contra quos se imbecillum Panormi fateretur.

AB EODEM : Qui consultus ab Indis Tepeguanis super bello, quod cum Hispanis gerebant, obtulit omnibus se Indis in illo bello discessuris vitam intra septiduum restitutum : cui promisso cum non stetisset, post complures dies mendacij accusatus ab Indis, respondit : Incepto bello insisterent, alioqui perituri ; quod tamen ad ipsum spectabat, non posse vltius ipsis opem ferre, siquidem à Coronatis illis (sic Nostros vocabat) prohibebatur. Ita lib. 9. Hist. Mission. Sinaloensium cap. 23. fol. mihi 617.

Quantum Socij Demonis conatibus resistant?

AB EODEM, Cum Hæreticis Caluinistis conspirante, in eicienda è Gallico Regno Societate. Nam per id tempus, quo Caluinista eiectionem Societatis è Gallia procurandam decernunt, Augi E-nergumena ore acriter Demones munitari capere, Se non quieturos, quoad ex Gallia IESUITAS exterminarent. Quod vt multis post annis, & quidem (Deo cuncta in melius vertente) quanto suo cum damno consecuti sint, ex nostris, & exteris Annalibus satis liquido constat. Sic Par. 5. Histor. Societ. Tom. 1. lib. 4. numer. 109.

Ideo è Gallia exterminatur. Eodem cum Hæreticis conspirante.

AB EODEM, Vel potius à Demonum legione, vt constat ex memorabili casu, quem in Annal. Soc. ann. 1583. belle delineatum inuenio, & iisdem verbis referre opere pretium duxi, ne incompto mei calami delmeamento sordescat. In pago, quod Vienna distat passuum millibus octo, Virgo erat Anna nomine, hæretica illa quidem, & ab hæreticis alta parentibus, sed tamen simplex,

Et Vienna cum tota legione in puella corpus ingreditur.

&c



& recta, & suorum imperio obsequens. Huic auia venefica erat, quæ se malo Dæmoni multis iam annis ante deuouerat. Hæc neptem suam Annam vt adoleuit, eidem humani generis hosti pro veteri sua coniunctione despondit. Eo non contenta, poma ad aspectum pulchra, plena tamen cantionibus, ac veneficijs puellæ offert, simulque astanti cuidam vt fidem daret (Dæmon is erat) hortatur, cum illa initio recusaret, diris eam verberibus ad id compulit. Hæc ijs, quas dixi rebus, vniuersum puellæ corpus intumuit. Hinc vehemens orta suspicio puellam Dæmonis obsidione teneri, id quod postea declarauit euentus. Distorquebat Dæmon ora puellæ, oculorum inuertebat aspectum, cumque aqua benedicta oris tumoribus aspergeretur, in alias partes corporis emigrabat. Cum caput occupauerat, lumen rationis sic obscurabat, vt ea redderetur insana; cum in oculis sedem ceperat, nouo illi fulgore lucis ardebant, vbi os, & labra obsederat, nigræ aut rubicundæ fabæ instar apparebant. Venitur ad fugandos Dæmones, venitur ad exorcismos: qui cum initio nihil proficerent, per motus parentis precibus Imperator filiam Viennam iubet adduci, Episcopique curæ committi. Episcopus cum literis Imperatoris ad Collegij Rectorem venit, egitque non modo precibus, verum etiam imperio, vt id oneris noctri susciperent: felicem enim rei exitum se sperare. Nostri etsi ægrè admodum rem tantam suis humeris imparem susceperunt; Episcopi tamen precibus auctoritateque compulsi xv. Kalend. Iulij ad expiandum Spiritus Sancti Templum aggrediuntur. Initio cum paucis actares est. Placuit postea diuinæ sapientiæ, vt ad aures, oculosque multitudinis perueniret. Nam Dæmonum v lulatibus, & inconditis vocibus, quibus modo porcorum grunnitus, modo ranarum coaxationes, modo vitulorum boatus, modo alias aliarum bestiarum voces imitabantur, est factum, vt res diutius latere non posset.



set. Itaque tantus fuit repente concursus, quantus ad celeberrima quæque spectacula, ut necesse fuerit sacelli fores ad arcendam vim multitudinis obsidere. Hic cum Dæmonum turba confligitur, hic ad infirmandas callidi hostis vires Christi Cruce, alijsque Ecclesiæ Catholicæ armis incumbitur. Inuidus hostis abstinere maledictis non poterat, ac præter cetera maledicta quibus nostros homines onerabat, eos murium Capita, & nigros arietes appellabat, querebaturque, quod ubi ubi nostri essent, suis conatibus, artibusque resisterent, ideoque nihil sibi fore gratius, quam si IESUITAS omnes, quotquot terrarum Orbe dispersi sunt, ex vno patibulo pendentem aspiceret. Iubebatur Crucem osculari puella, frementibus hostibus, atque horrendum in modum rugientibus: Ea ratione fugabantur quotidie multi, & certis signis coactus exorcismis Diabolus indicabat, &c. Pridie itaque eius diei, qui assumptæ in Cælum Deiparæ festus est, post horrendos clamores, & horribiles eulatus, tandem Dux ipse legionis excessit. Puellamque ita reliquit afflictam, atque exanimatam, vulgo ut mortua putaretur: Iacuit enim vitæ vsibus destituta horas circiter quatuor: consequenti vero nocte recreata, postridie, qui dies fuit B. Mariæ Sacer à suis expiata peccatis, ab Episcopo Viennensi, qui in æde nostra vniuerso populo rem omnem exposuit, Christi corpus accepit. *Hic casus est vel æterna hominum memoria dignus: hic timor Dæmonis, hoc odium contra Iesuitas verbis adeo ingentibus expressum, ut nil sibi gratius, quam omnes in vno patibulo suspensos aspicere, inuidus hostis plene ac plane coram omni populo sateri non dubitet. Quæ rogo, maior Societatis, ac sociorum gloria? Quare hic Ego etiam calamum suspendo: & Doctioribus lampadem trado pro discutienda hac Encomiastica palæstra.*

*Huc usque me deduxit, qui me duxit in vehementer amatam IESV Societatem, Matrem mihi colendissimam: quo beneficio con-*

*Ex quo  
Nostros  
muriū ca-  
pita, & ni-  
gros arietes  
appellabat:*

*Et ubi illi  
essent suis  
conatibus  
resistere  
querebatur*

*Ideo nil sibi  
gratius,  
quam si te-  
suis as om-  
nes ex vno  
patibulo  
pendentes  
aspiceret.*



*strictus dum Societatis emolumenta non ostendunt mei mores, uti-  
nam vel prædicem calamo. Portum attigimus. Hic fixa sit ultima  
periodus Operis. Absoluimus in Collegio S. Michaelis apud Tucuma-  
nos die 27. Septemb. ann. 1665. die, inquam, SS. Martyrum Cos-  
me, & Damiani venerationi Sacra, & fausto Societatis natalitio  
veneranda: quæ Gemino hoc sub signo, tam fortunatoque Sidere na-  
ta, haud mirum tot meruerit Elogijs coronari.*

---

Omnia ad minimas vsque Syllabas, ad Iota, &  
Apicem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ  
Correctioni Subijcio:

A. M. D. G.

PRO-